

BIBLIOTECA COMUNALE DI TRENTO

Sezione manoscritti, ai n. 2834 - 2835

Istrumento di vendita di un bosco in Costalta a
Giovanni Battista a Prato di Trento e Giovanni
Chezer di Augusta. 1531

[pergamena]

33

Documento trascritto e tradotto a cura di Oss Papot Lucia e Grisenti Luciano

Primavera 2019

In Christi nomine amen. Anno ab eiusdem Nativitate millesimo quingentesimo trigesimo primo indictione quarta, die vero iovis, decimo quarto mensis septembris, in civitate Tridenti, in contrata Burgi novi, sub lodia apud viridarium domus nobilis de Preda Piana ubi residet Magnificus et Generosus Eques Dominus Franciscus de Castro Alto capitaneus Tridenti presentibus ibidem Magnifico et Excellentissimo Iuris videlicet Doctore Domino Bernardo Nuvolone Honorando Praetore Tridenti, et nobili Mantuano, Philippo de Campo comilitone sue Magnificencie et Antonio quondam Dominici Caminade, de Campedello, districtus Mantue familiare eiusdem Magnifici Domini Praetoris, testibus ad infrascripta vocatis et rogatis specialiter.

Ibique expositum fuit et narratum, cum sit quod iam pluribus mensibus minerarum Perzeni supra stantes, attenta maxima necessitate, qua causa lignami premebant minere dicti loci Perzeni quibus deficientibus successive esset necesse ipsas minerias derelinquere, in maximum damnum, et Invictissimi Regis Romanorum, et Reverendissimi ac Illustrissimi Domini D. Bernardi Cardinalis et Principis nostri Tridenti, ac domini dicti loci Perzeni, et dictarum minerarum supplicaverint sue Reverendissime et Illustrissime Dominacioni, ut ex quo, in pertinentiis Plebis Pineti, sunt plura nemora, et silve, ex quibus parum comodi hominibus dicti loci Pineti resultat et tamen sine magno eorumdem hominum incomodo, ligna eorumdem nemorum et silvarum possent concedi, pro usu ipsarum mineriarum, et earum sustentatione, pro quibus etiam lignis, dicti suprastantes oferebant se soluturos ipsis hominibus, omne illud quod dignosceret esse honestati consonum, unde sua Reverendissima et Illustrissima D. visis precibus anuendo, et auditis etiam ipsis hominibus montanee Pineti, super eo quod sine eorum minori incommodo usui dictarum mineriarum concedere possent, de eorum nemoribus et silvis, deputaverat Prefactum Magnum et Generosum Dominum Franciscum de Castro Alto, Capitanum Nostrum et Magnificum et Generosum Baronum, equitamque Dominum Georgium de Firmiano, similiter prefectum suum dicti loci Perzeni, una cum me Notaris infrascripto suo fiscali, et vassis

nemoribus et silvis ipsis, et considerata etiam indigentia ipsius montanee Pineti, ac civitatis Tridenti fieret honeste compositione super eo quod posset comode concedi ipsis mineriis, et cum per prefactos et me Notarium per duas vices, fuissent visa loca, omnia bene considerata et tractatum pluries infra ipsas partes super nemoribus, seu silvis concedendis et earum solutione, tandem coram ipso Magnifico et Generoso Domino Capitaneo, Domino Francisco de Castro Alto item Nobilem Dominum Ioannem Baptista a Prato civis Tridenti, et Dominum Ioannem Chezer de Augusta, ut capita et principales ipsarum minerarum, ibidem presentes ex una, et Ser Sandrum quondam Thomè de Sternigo, Pineti Regularium montanee et Villarum Pineti, Ioannem quondam Cristelle de Vigo Pineti, ac Iacobum de Campo longo Pineti, omnes intervenientes et facientes pro omnibus hominibus et universitate Villarum et locorum prefacte montanee Pineti, a quibus etiam dixerunt in plena Regula habuisse plenum et amplum mandatum ac voluntatem infrascripta omnia peragendi, et pro quibus etiam omnibus ad abundantem cautellam, in propriis bonis ea ad id omnia specialiter ypothecando, solemniter promisserunt, de rato et rati habitione, omnium et singulorum in praesenti instrumento contentorum sub pena refectionis omnium damnorum, expensarum et interesse litis et extra, ex altera ad infrascriptam transactionem, pacta, concordiam, et conventionem devenerunt, pepigerunt transigerunt et convenerunt mutuis hinc inde solemnibus stipulationibus intervenientibus.

Et primo ipsi Sander, Ioannes, et Iacobus dictis nominibus pro se et eorum successoribus omnibus et universitate montanee et locorum ac Villarum Pineti predicti, dederunt ac tradiderunt cesserunt concesserunt ac vendiderunt, pactis et conditionibus infrascriptis, praedictis Domino Ioanni Baptiste a Prato, et Domino Ioanni Chezer praesentibus ac pro se et successoribus et heredibus suis ementibus et acceptantibus, unum nimus lignorum diversi generis et usum ac facultatem liberam et omnimoda buscandi ac incidendi quacumque ligna posita et iacentia in eo, que nunc reperiunt aucta in eo quod nemus positum est et iacet in monte nominato il monte de Castoalte,

Plebis et montanee Pineti prefacta et continet infra hac ut ipsa partes dixerunt et convenerunt confinia, primo versus monte iuxta confinia illorum de Perzino, et pro ut se extendunt fortia confinia preter ab inde veniendo versus Pinetum, et versus sero usque ad confinia illorum de Viarago, et iuxta illa confinia veniendo versus Pinetum et septentrione usque ad sumitatem Vallis et planum ipsius Vallis, que vocat la Valle del Roncolim et deinde descendendo per dictum planum prefacta Vallis, quod planum confinaverunt pro confine dicti Nemoris, ipse partes versus Pinetum descendens a summitate dicta Vallis usque ad Vallem Inferiorem per quam transit aqua nominata la Regnana signando certos terminos signatos omnibus per eas partes factis in una pice et in una fago, distantibus inter se per sex passus in circa existentibus in fundo vallis nominata Roncolim, usque ad viam publicam, qua itur ex Pineto per fundum dicta vallis, per quam transit dicta aqua nominata Regnana, usque ad prata Leonardi Zuliani de Miola que prata sunt versus confinia illorum de Perzino supra Fersinam quam viam transeuntes per dictam vallem ut supra a fundo altherius Vallis nominata Roncolim ubi sunt signati dicti termini in dicto pice et fago usque ad dicta prata et confinia illorum de Perzino. Designaverunt et deputaverunt esse pro confine ab illa parte includente dictum nemus designatum et venditum, a parte versus sero, et forte dicto nemori vendito et tradito alii sunt veriores confines, ad habendum, tenendum, ac possidendum buscandum et lignis ipsis fruendum et quidquid ipsi Domino Ioanni Baptiste et Domino Ioanni Chezer et suis heredibus et successoribus de dictis lignis deinceps placuerit faciendum, pactis tamen infrascriptis ut supra stipulatis et vallatis.

Et primo actum fuit et conventum quod ipsi Dominus Ioannis Baptista, et Dominus Ioannis Chezer et sui heredes ac successores non possint alieno modo astringi ad aliquod tempus ad incidenda ligna existentia in dicto nemore supra confinato et vendito, sed quod possint et valeant libere et expedite sine aliquo impedimento ipsorum hominum Pineti, vel aliorum, ex causa talem proveniente ab ipsis hominibus cum prefactus Ser Sander, Ioannes et Iacobus dictis nominibus eisdem Dominis Ioanni Baptiste a Prato, et Ioanni Chezer, presentibus et pro se et suis heredibus et successoribus ibidem solemniter promisserint, de evictione et legitima defensione dicti

nemoris, quantum sit ex dato, et facto suo, sub pena dupli valoris eiusdem, et refectionis omnium damnorum, expensarum et interesse litis et extra de anno in annum, pro ut erit eorum indigentia, et comodum, ligna ipsa incidi facere, et abduci pro ut ipsis videbiter tam pro usu pontium quam carbonorum, et aliter pro dictis mineriis non tamen causa buscandi, seu aliis vendendi, seu in eis mercantiam expedendi, ultra usum ipsarum mineriarum, cum id pacto expresso, actum sit, ipsis vel suis heredibus et successoribus non licere.

Item actum fuit et conventum quod pro usu et indigentia buscheriorum et operarum quos seu quas conducent ad laborandum in dicto nemore, sive causa faciendi carbones, sive incidendi et conducendi ligna incisa quod possint et valeant domos solitas, et consuetas pro eorum indigentia in dicto nemore constructas, remansuras tantum pro eo tempore pro quo inciserint ligna, et non ultra et quod animalia que conduxerint pro usu et indigentia premissorum possint ibi depasci absque contradictione illorum de Pineto, vel aliarum personarum.

Item actum et conventum fuit quod prefacti Domini Ioannes Baptista, et Ioannes Chezer dicto nemore uti et frui debeant bona fide et sine dolo et fraude, et ipsa ligna incidi facere, continuatis annis, et quod ultra ligna nihil ultra se impediunt in dicto loco, sed ab inde ultra, homines Pineti libere ut de aliis rebus suis disponere possint, nec eos homines ultra illa confinia, de super nominata impediunt turbent, vel molesteat sive in lignis sive a liber neque per se, neque per alias personas interpositas.

Item actum et conventum fuit quod ipsi Domini Ioannes Baptista, et Dominus Ioannes Chezer pro ipsis lignis, et reliquis ut supra concessis et datis, dant, et dare debeant dictis hominibus, et Comunitati Pineti montanee pro bona intractica primo Ranenses triginta, in ratione librarum quinque bone monete de Marano pro singulo Rehenense, quos Renenses triginta in ratione permissa computatis Ranensibus decem quos in presentia premissorum testium, et mei Notarii prefacti Domini Ioannes Baptista et Ioannes Chezer in tot scutis auri et moneta predictis Ser Sandro, Ioanni, et Iacobo, dictis nominibus acceptantibus, et ad se trahentibus, dederunt et numeraverunt etiam idem

Ser Sander, Ioannes, et Iacobus dictis tamen nominibus integre, vere, et non sub ipse alicuius futura numerationis dixerunt, et affirmaverunt et libere confessi sunt, et manifestarunt habuisse, et recepisse a dictis Dominis Ioanne Baptista, et Ioanne Chezer, sive suis agentibus renuntiantes eisdem nominibus exceptioni dictorum viginti Rhenensium non sic antea acceptorum, et integre habitorum, doli mali pacti conventi et actioni in factum, conditioni indebiti, et sine causa, et omni alii suo iuri, legum auxilio competenti et competituro, et quod successive omni anno in festo Santi Michaelis, ut eius octava in quo quaquo anno laborari fecerint, in dicto nemore, sive buscando, sive carbones fieri faciendo, sive aliter iam factos et ligna incisa abducendo, quod pro affictu, et nomine affictus, dicti nemoris et usque ad eius consumationem, libras triginta duas monete maranensis cum dimidia prefactis hominibus et universitati Pineti, per eos, expendendis in eorum usibus pro ut ipsis duxerint expedire, et finito usu nemoris quod alterius ad talem affictum minime teneant, sed ab inde ultra, quelibet pars erga alterum sit libera et ad aliud non teneat.

Que omnia et singula primissa et infrascripta, prefacte partes dictis nominibus et quamlibus earum, et altera, alteri, et pro contra solemnem stipulationem hinc inde interveniente realiter et cum effectum solemniter promisit, et convenit semper et perpetuo habere firma, rata et grata ea attendere, observare ac adimplere, in nullo contrafacere, ut venire per se, ut alias aliqua ratione causa ut ingenio, de iure, ut de facto, ut alio quesito colore, sub pena Ranensium centum applicanda pro medietate fisco Reverendissimi et Illustrissimi D.D. Cardinalis Antelati, pro quo ego Notarius uti publica persona sui stipulantis et pro alia medietate, parti attendenti promissa, et stipulata, per ipsas partes dictis nominibus sponte et ex certa earum omni scientia, volentes ad eas expresse obligari et posse conveniri in quolibet ex premissis capitulis et toties auferenda et comitenda, quotiens praemissis aut aliquo eorum fuerit contrafactum ut conventum, item refficere etiam ultram eam omnia damna, expensas, et infrascripte lites et extra, quo quomodo parciendas et pacienda, qua sciglat pena soluta, ut non, quibus damnis expensis ac interesse reffectis, ut non, nihil hominus premissa, omnia et singula pacta maneant, et firma perdurent pro quorum omniorum et

singulorum inviolabili observatione prefacte partes invicem videlicet dicti Domini Ioannes Baptista et Ioannes Chezer obligaverunt omnia eorum bona mobilia et in mobilia, presentia et futura, et dicti Sander, Ioannes et Iacobus bona universitatis Pineti et propria, mobilia et in mobilia, presentia et futura rogans ipse partes me Notarium infrascriptum, ut ipsi unum, ut plura, publicum, ut publica, super praemissis conficiam instrumentum seu instrumenta, quoties opus fuerit.

Et ego Angelus Costede quondam Nobilis viri Domini Ioannis civis Tridenti publicus Apostolica et Imperiali auctoritatibus Notarius quia premissis omnibus et singulis sicut fierent agerent qui interfui atque fieri in dicti una cum prenominatis testibus per id circa hoc primis publicum instrumentum aliena manu transcripti ex originali vero de verbo verbi fideliter, inde confeci subscripsi et in bona et in hanc publicam formam redegi, et ad maius omnis robur et firmiore fidem signum mei tabellionatus affixi solitum ante hanc meam subscriptionem opposui, rogatus et requiritus. Laus Deo Amen